Fichte

De principiorum contradictionis

DE

RINCIPIORUM CONTRADICTIONIS,

IDENTITATIS,

XCLUSI TERTII IN LOGICIS DIGNITATE ET ORDINE,

DISSERTATIO,

QUA

AD AUDIENDAM ORATIONEM

E NECESSITUDINIS, QUAE INTER ARTEM PAEDAGOGICAM
ET PHILOSOPHIAM INTERCEDIT, VERA RATIONE,

RO ADITU PROFESSORII MUNERIS IN FACULTATE
PHILOSOPHICA ORDINARII

IE IV. MENS. IUL. HORA XI. IN AULA VICARIA A SE HABENDAM

ACADEMIAE REG. BORUSS. RHENANAE

PROCERES, PROFESSORES, DOCTORES, CIVES,
AMPLISSIMOS, CLARISSIMOS, ORNATISSIMOS,

OBSERVANTISSIME INVITAT

J. H. FICHTE

PHIL. DR. ET AA. LL. MAG.

BONNAE

LITTERIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXL.

Est locus in logicis et metaphysicis varie tractatus de principiorum contradictionis, identitatis, exclusi tertii dignitate, sive ad solam cogitationem, sive ad res ipsas pertinente, et de ordine, quo illa inter se cohaereant. Qua de re si diversas philosophorum recentiorum sententias accuratius perpenderis, totius in iis logices historiam contineri facile intelliges. Quod ipsa rei natura evenire nemo non videt: nam immutata de principiis cuiusdam disciplinae opinione, rationem disciplinae ipsius universam aliam fieri necesse est. Ceterum quum data orationis publice habendae occasione officium nobis iniunctum sit, ut de materia quadam ex disciplinis philosophicis deprompta commentariolum ederemus: opportunum duximus, ne in metaphysices

profunda evagaremur, a quibus recte perscrutandis aut accurate exponendis sermo peregrinus satis absonus esset, neve ad meram philosophiae historiam confugeremus, mediam quasi viam ingressi, quaedam de *vera principiorum logicorum potentia* monere, singularum de iis opinionum recensione adhibita.

Primum hac in re error aut ambiguitas quaedam notanda est, quae facile iustam rei rationem turbare possit. Logici enim et philosophi, uno *Hegelio* exempto, in eo consenserunt omnes, logicen esse doctrinam de *intelligendi et cogitandi natura*, et hinc eam rationandi argumentandique scientiam, veri et falsi diiudicandi artem fieri. Unde apparet, principia illa, ex quibus tota pendet disciplina logica, a quibus singula eius praecepta repetenda et certo ordine explicanda sunt, non esse scita quaedam aut iussa scientiae, quibus cogitatio humana conformari aut possit aut debeat, ut ad finem veri indagandi perveniat, non esse normam aliquam, a logicis inventam, ut *recte* cogitare possis. Sed is est sensus principiorum illorum, ut indolem cogitationis et universae rationis (τῆς νοήσεως) ipsam exhibeant, et ita *summa veri et falsi nota in intellectus et rerum ipsarum natura* posita sit.

Ceterum in his sententiae philosophorum ve-

terum conspirare videntur, quantum iam apud eos principiorum eorum mentio fit aperta. Iam enim ab Aristotele, praeeunte Platone, comprobatur, esse aliquid, quod per se certissimum demonstratione neque egeat, neque eam admittat, idque in eo versari, ut res unaquaeque et notio ab omni parte secum congruere debeat, neque sibi contrarium continere possit. Quibus verbis simul indicat Aristoteles, se identitatis principium vere pro uno eodemque habere cum contradictionis praecepto, quod quam verum sit deinde monstrabimus.

Ex pluribus eius locis unum tantum, eumque praecipuum apponam, e tertio sive quarto Metaphysicorum libro (c. 3. p. 1005, 11. b.), ubi, postquam exposuit, omnium certissimum quoddam principium esse oportere, circa quod dubitari aut falli nequeat (διαψευσθῆναι — quod a Bessarione in latina Metaphysicorum interpretatione, editioni Bekkerianae subiuncta, male voce mentiri translatum est, quae est significatio medii, non passivi —), hoc esse principium addit: τὸ αὐτὸ ἅμα ὑπάρχειν τε καὶ μὴ ὑπάρχειν ἀδύνατον τῷ αὐτῷ κατὰ τὸ αὐτό. Et quod de rerum necessitate in principio posita monuit, antiquorum philosophorum more statim ad cogitationem ipsam refert: ἀδύνατον τὸν ὁντινοῦν

ταὐτὸν ὑπολαμβάνειν εἶναι καὶ μὴ εἶναι κ. τ. λ.

Deinde (cap. 4.) quum adiecisset, quosdam propter ignorantiam (*δι' ἀπαιδευσίαν*) eius comprobationem esse conatos, addit: est etenim ignorantia nescire, quorum oporteat quaerere demonstrationem, quorum non. Plane absurdum foret, omnia demonstrari: in infinitum enim progrederetur ista probatio, neque unquam vere absolvi posset: (Metaphysicc. l. c. c. 4. p. 1006. 6. *ἔστι γὰρ ἀπαιδευσία τὸ μὴ γιγνώσκειν τίνων δεῖ ζητεῖν ἀπόδειξιν, καὶ τίνων οὐ δεῖ, ὅλως μὲν γὰρ ἁπάντων ἀδύνατον ἀπόδειξιν εἶναι· εἰς ἄπειρον γὰρ ἂν βαδίζοι, ὥστε μηδ' οὕτως εἶναι ἀπόδειξιν.*)— Aliis in locis, ut in Anall. priorr. libro I. (c. 32. p. 47. 8.) idem sensu affirmante exhibetur: *δεῖ γὰρ πᾶν τὸ ἀληθὲς αὐτὸ ἑαυτῷ ὁμολογούμενον εἶναι πάντῃ.* — Immo cetera omnia, quae pro certis et confirmatis haberi possint, sive principia, sive argumenta, ex uno illo originem ducunt et eius necessitate augentur (p. 1005. 33. b.): *διὸ πάντες οἱ ἀποδεικνυντες εἰς ταύτην ἀνάγουσιν ἐσχάτην δόξαν· φύσει γὰρ ἀρχὴ καὶ τῶν ἄλλων ἀξιωμάτων αὕτη πάντων.*

Ex locis illis Aristotelicis duo potissimum comprobari posse videntur: primum neutiquam ex eius sententia differre inter se identitatis et con-

tradictionis praecepta, nam plane eodem modo utrumque pro primo habet et pro indubitato, neque alterum ex altero, neque singula pro se argumentis confirmare studet. — Deinde nullo modo logicorum posterioris aetatis distinctionem novisse eum aut probavisse apparet, qua docent, contradictionis principium nullum locum nisi in logicis habere: esse legem illam, qua sanciatur, contraria cogitari non posse sine contradictione admissa. Reliqua autem principia, prae ceteris principium rationis sufficientis, etiam ad rerum veritatem pertinere, iisque sanciri, quid illae sint, et qua ratione cognosci possint. Quorum nihil omnino apud Aristotelem, qui eodem modo principia illa tam ad rerum notiones, quam ad earum naturam et existentiam referebat, sive, ut nostrorum vocabulis utar, ea et logica esse et metaphysica (s. ontologica) pro certo et explorato habebat.

Valuit deinde Aristotelis auctoritas diu apud Scholasticos, a quibus omnia tum revocata sunt ad eam supremam veritatis normam: neque tamen illi opus esse censuerunt, singula principia accuratius inter se dignosci, certisque formulis definiri. Sufficere videbatur insita iis perspicuitas et lux nativa. Eandem fere rationem Cartesius et Cartesiani sequebantur, donec in

Lockii disciplina, quae a sensibus omnem veritatis originem ducebat, ortus eorum rationalis in dubium est vocatus. Tum aliqua comprobatione indigere ea, negari ab illis non potuit, quae ingruente iam philosophia sensuali rationibus ex anthropologia aut psychologia sumptis satis munita iis videbatur.

Simul alia invaluit de logices et logicorum principiorum potestate opinio, qua nihil aliud nisi notionum recte formandarum, syllogismorum omni modo componendorum et rite immutandorum, argumentorum fallacium et sophisticorum elenchon sagaciter detegendorum ars quam perfectissima esset institutio logica. Quo ex tempore logice sensim sensimque in eum inanitatis ac futilitatis gradum delapsa est, ut I. G. Fichtius prorsus non esse eam disciplinis philosophicis adiungendam, Hegelius vilium et obsoletorum praeceptorum esse farraginem etiam atque etiam pronuntiarent.

Iam igitur ante omnia hoc tenendum, quod antiquorum nomine iam monuimus, leges illas

cogitandi universales non esse alienas ab ipsa cogitatione et velut diversi generis, non esse instituta quaedam, quibus solis meditatio conformata recte cogitare, verum invenire possit, aut iis neglectis in errorem incidere debeat. Sed insitam potius naturam, propriamque eius vim designant, non alio modo, quam quo leges ponderis (»gravitationis«) corporis naturam produnt. Itaque cogitatio non sponte sua, aut per artem instituta, his legibus utitur, quasi contrarium etiam sequi possit, sed necessitate quadam ducta, quae omne ei arbitrium adimit. Unde hac quoque causa apparet, non esse logicen iis finibus includendam, ut eam artis cogitandi disciplinam solam habeas.

Ceterum cogitandi facultas et ratio omnibus eadem est atque communis, cunctasque mentes ad unam legem revocat. In recordandis, imaginandis, concupiscendis rebus unusquisque nostrum a ceteris diversus suas partes sequitur: iidem contra sunt sensus in omnibus, eadem sensuum perceptio: ita in rebus ratione definiendis una eademque valet cogitandi vis et necessitudo.

Itaque si principiorum illorum varietas quaedam statuitur, tamen ad unum summumque principium revocari illa necesse est, quod naturam cogitationis veram et simplicem simplicissime de-

signat, ex quo igitur derivanda sunt cetera omnia, quae in ratione et in scientia humana necessitatis vi et potestate sunt praedita, principia et categoriae.

Porro summam hanc legem comprobatione nec egere, neque eam permittere, iam ab Aristotele accepimus: proxime enim e cogitationis ipsa natura repetenda est, eiusque specialem, ut aiunt, differentiam exhibet. Est vero sublimior rationalis cognitionis natura et summa eius diversitas, tum a sensuum perceptione, tum a rerum recordatione, in eo posita, quod solum per illam res rerumque notiones, non ut sensibus concipiuntur in caduca sua et fragili natura, sed constanti et definita proprietate ac veritate cognosci possunt. Notiones enim rerum universae et immutabiles, sive, ut formula Aristotelica utar, *τὸ τί ἦν εἶναι* in omnibus *), sola cogitatione acquiruntur, non sensibus, neque sola recordatione, qua quidem ea, quae sunt a sensibus tradita et impressa, repeti varieque inter se sociari possunt, vera autem eorum indoles a specie mutabili internosci nequit. Ita cogitatione sola dicendi nominandique facultas

*) Vide de eius formulae sensu egregie disputantem Trendelenburgium in Museo Rhenano II. 3. p. 468. 69.

oritur, quum nomina rerum, id quod alio loco uberius iam exposuimus, notiones rerum naturali modo et communi quasi sensuum rationisque confinio susceptas designent.

Summum igitur rationis principium, naturam eius simplicem reddens, in universa definiendi res et notiones, atque ita distinguendi, ideoque alterum ad alterum referendi facultate positum esse constat. Haec tria, quamquam disiungi inter se aut separari nequeunt, quod unam individuamque cogitationis vim continent, reliqua principia, quae dicuntur logica, in se exhibent, unde hoc ordine explicanda sunt, quem a vulgari institutionis logicae ratione recedere nemo non videt.

Itaque primum, quod identitatis principium vocatur, in iis reperies, quod si in vim negantem convertas, alterum iam contradictionis praeceptum in se continere intelliges. Illud universam cogitandi facultatem designat, qua definiuntur rerum notiones et pro se quaeque certissime terminantur, atque ita solum sibi ipsae pares et consentaneae omnem simul contrarietatem excludunt: hoc talem ab omni parte sive discrepantiam sive ambiguitatem excludendam esse expresse addit et disertim confirmat. Neque igitur sensu, sed potius verbis ea inter se differre manifestum est.

Id quod melius dignosci poterit, quum historiam eorum accuratius exposuerimus apud recentiores logicos. Initio enim, quod Aristotelis exemplo iam comprobavimus, duo illa principia vixdum accuratius inter se distincta usu ipso in unum coaleverunt aut pro uno eodemque habita sunt. Propius tamen erat in definiendo eorum sensu negationis formam praeferri alteri, quum sibi pugnantia neque esse neque cogitari posse, primam et necessariam omnium notionum conditionem esse, luculentissime appareret. Ita evenit, ut contradictionis principium non solum pro primo haberetur in ceterorum ordine, verum etiam identitatis formulam plane opprimeret atque inclusam in se comprehensamque teneret.

Ita Chr. Wolffius in philosophia rationali sive logica (Francof. et Lips. 1728, p. 401. §. 532.), postquam exposuit: duas propositiones sibi contrarias nullo pacto simul veras esse posse, sed esse alterutram veram (quibus verbis elucet iam exclusi tertii praeceptum), ita principium illud in formulam redegit: propositionum contradictoriarum altera necessario vera, altera necessario falsa. Eodem modo in eius philosophia prima sive ontologia (Francof. et Lips. 1730, §. 27. 28.), Leibnitii exemplo, omnis veritas e contradictionis et rationis sufficien-

tis principiis repetitur, in utroque opere nullibi, quantum scimus, identitatis principii mentione habita. Unde postea etiam, quum ad identitatis notionem accuratius ab illa distinguendam progressi iam essent logici, contradictionis principium apud eos primum semper locum servavit.

Princeps enim inter philosophos Ioannes Alexander Baumgartenius fuit, subtilis sane ingenii vir, qui ad substruenda ontologiae fundamenta (— acroasis eius logica *) contra, ut G. Fr. Meieri opera, ad logicen pertinentia, nihil eiusmodi exhibent —) identitatis principium ex contradictionis et exclusi tertii notionibus explicare et comprobare conatus est.

Cuius penitam originem et vim quo accuratius perspiciamus, universum comprobationis cursum exponi oportebit. Primus locus ex Baumgartenii sententia in ontologicis est de pos-

*) Alex. Gottl. Baumgarten acroasis logica, aucta et in systema redacta a Ioanne Gottl. Toellnero, Halae 1765. — Ceteri, quos supra citavimus, libri sic inscripti sunt: G. A. Baumgarten Metaphysik, neue vermehrte Aufl. Halle 1783, G. Fr. Meier Vernunftlehre, Halle 1752, eiusdem Auszug aus der Vernunftlehre, Halle 1752.

sibili. (V. Metaphysicorum libr. I. c. 1. §. 7. sqq.)

Ante omnia igitur praecipiendum ait, quid sit possibile et impossibile? Nihil est simul A et non A, — quod »nihil est negativum«, ut Baumgartenii ipsa verba apponam, »irrepraesentabile, impossibile, contradictorium implicans.« Est igitur impossibile, simul esse aliquid et non esse. Quo contradictionis axioma nascitur, principiorum omnium primum et per se certissimum. Ergo subiectum (logicum), quod contradictoria continet, nullis praedicatis uti, neque esse quidquam necesse est. (§. 9.) Contra id, quod mente concipi (»repraesentari«) potest, quod non simul A et non A eadem sententia complectitur, est aliquid, possibile, res.

Omne autem possibile aut A est aut non A, aut neutrum. Quum vero neutrum inter A et non A, omnino idem esset, atque illud »nihil negativum«, cuius supra mentio iam facta est, sequitur, unicuique rei ex praedicatis contradictoriis unum, ceteris omnibus exclusis, convenire; id quod alterum principium exclusi tertii sive medii inter duo contradictoria statuit (§. 10.).

Igitur omne possibile est A = A, i. e. omnia sibi ipsa congruunt: alioquin aut A esse A non

posset, aut simul A et non A esset, quod a vero absonum utrumque. Est tertium principium positionis sive identitatis (§. 11.), qui est primus fons axiomatis huius ontologici, deinde inter logica recepti.

Quibus examinatis et bene perpensis luce meridiana clarius est, unde nata sit futilis illa et inanis identitatis notio apud posteriores logicos, quam optimo iure Hegelius ex philosophia relegavit. *) Manifestum enim est, vix in eo quidquam reperiri posse, quod ad ipsam rationem, eiusque propriam vim, quod ad veritatem rerum cognoscendam pertineat: nam ea omnia, quae quo minus mente concipiamus vel imaginemur, nullo nos contradictio impedit, pro veris habere, absurdum esset, neque ulli homini probabile.

Itaque si in logicis identitatis notio in posterum locum obtinebit, quam equidem, quo accuratius et distinctius iustam veramque cogitationis indolem designet, positionis sive terminandi principium nominarem, altiore et interiore iam sensu accipi debebit. Ea est enim prima et potentissima cogitandi vis, ut in varietate rerum

*) Wissenschaft der Logik, Thl. II. (Werke Bd. IV.) S. 32. 33. 37; Encyklopädie der philosophischen Wissenschaften; 3te Aufl. §. 115. S. 127. 28.

sensualium perpetua veras earum et stabiles notiones deprehendat et in claram conscientiae lucem revocet, ita ut mutabili illi rerum compagi, quas sensibus percipimus, firma legum et veritatum natura per cogitationem detecta substruatur. Quo sensu identitatis notione adhibita, principium hoc sane revocandum esset in logicam, primoque loco ponendum ea ratione, ut contradictionis formula, quae, nisi conversione in negationis sensum facta, idem omnino exhibet, alterum tunc locum obtineret. *)

---

*) Cum his, quae supra exposuimus de principiorum identitatis et contradictionis conditione, accurate comparanda sunt, quae Chr. H. Weissius, philosophus, quocum in rebus gravissimis, quae ad philosophiam augendam et promovendam pertinent, me consentire et laetor et maximi facio, primus de vera identitatis vi et notione in commentario, ephemeridibus philosophicis a me editis inserto, disputavit. (»Ueber die philosophische Bedeutung des Grundsatzes der Identität« in der Zeitschrift für Philosophie und spek. Theologie Bd. IV. 1. p. 1. ff.) Qui verum mihi vidisse in his videtur, ut inanem illam et omnis utilitatis expertem identitatem logicam ad verum sensum, eumque cum cogitationis natura congruum revocaret, quamquam paullo παραδοξοτερῶς initio contendit, sibi esse identitatis principium nullum aliud, nisi quod a ceteris

Quid autem de dignitate principii exclusi tertii statuendum erit, de quo eadem

logicis contradictionis nomine praedicetur, — quum potius ipsam identitatis formulam servasse et nova luce perfudisse nobis videatur, — ceterum statim monens, iam Kantio fuisse persuasum, utrumque plane pro uno habendum esse. Sed ne hoc quidem dici poterit, contradictionis principium prius exstitisse, quam alterum, quum iam apud Aristotelem formula eius affirmans et negationis notio sociatae inter se aut permutatae inveniuntur. Vide Aristolelis locos supra citatt. Fortasse de Platone idem iudicandum erit, si verba ex Phaedone (p. 103. C.) a Weissio quoque allata: *ξυνωμολογήκαμεν ἄρα, ἦ δ' ὅς, ἁπλῶς τοῦτο, μηδέποτε ἐναντίον ἔσεσθαι ἑαυτῷ τὸ ἐναντίον*, cum superiore loco (p. 100. A.), ad quem respicere illa mihi videntur, comparaveris: ubi, quum docuisset Socrates esse ad cogitationem (*τοὺς λόγους*) confugiendum, si rerum veritatem cognoscere velimus, deinde monet, in hac investigatione se ubique supponere (*ὑποτίθεσθαι*, pro principio habere) *λόγον, ὃν ἂν κρίνω ἐῤῥωμενέστατον εἶναι, ἃ μὲν ἄν μοι δοκῇ τούτῳ συμφωνεῖν, τίθημι ὡς ἀληθῆ ὄντα, καὶ περὶ αἰτίας καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων· ἃ δ' ἂν μή, ὡς οὐκ ἀληθῆ.* Quibus addit in sequentibus, omnium rerum veritatem in eo esse positam, quo magis idearum, quarum exemplaria sint, naturam in se exhibeant. Sensus is esse videtur, ut sint ideae illae (*τὸ καλὸν αὐτὸ καθ' αὐτὸ, καὶ ἄγαθον, καὶ μέγα*, p. 100. C.) verae causae identitatis in omnibus rebus servatae, principium

2

fere est inter viros doctos sententiarum diversitas? Quod quam arcte cum principiis illis coniunctum sit, iam ex eo colligendum est, quod Wolffius (in Ontologia §. 54. p. 57, 58, collata eius Logica, §. 532.) copiose perpendit, utrum principium exclusi medii ex contradictionis principio rectius derivandum sit, an ipsum exclusi medii principium esse fontem alterius dici possit?

Baumgartenius, ut iam monuimus, hanc sententiam tuetur, Wolffius, ad Aristotelem provocans, et primum omnino locum in cogitatione et in ratiocinationibus contradictionis principio assignans, subtiliter exponit, circulum in demonstrando committi, si principium exclusi medii inter duo contradictoria principio contradictionis ipso prius statuas: hoc enim, si e praecepto exclusi tertii deduci debeat, iam in eo contineri oportere, ut repeti ex illo possit.

Itaque Wolffius talem in logicis (§. 532.) principii exclusi tertii formulam proponit, eiusque originem ex ipsa contradictionis lege deducit,

---

igitur illud in ideis ipsis esse contentum: id quod plane cum ratione nostra conveniret, qua ex causa factum est, ut identitatis notio a nobis primo loco posita et pro praecipua habita sit.

ut propositionum contradictoriarum altera necessario vera, altera necessario falsa sit. In ontologicis vero quum non de notionum recta ratione, sed de rerum veritate (de »entis realitate«) disputetur, iure ab eo formula immutata est: Quodlibet est vel non est; communiterque etiam dici posse ait: inter contradictoria non esse medium.

Haec inter summas cogitandi leges habita et intacta fere conservata est formula in longo illo logicorum ordine ex Wolfii et Kantii familiis ad nostram usque aetatem. Reliquorum loco atque omnium ad instar Krugium et Friesium laudamus, quos optimo iure inter logicos nostri temporis maxima auctoritate frui nemo nescit.

Alter *) eorum hac formula principium concipit: ex notionibus rei contrariis altera affirmanda et, si haec iam affirmata est (— quam caute et considerate haec a philosopho formulae adiuncta sint, rationem deinde videbimus —), altera est neganda. (»*Unter entgegengesetzten Bestimmungen eines Dinges darfst Du nur Eine setzen, und, wenn diese Eine gesetzt ist, so musst Du die andere aufheben.*«) Addit ille,

*) Krug, Logik oder Denklehre 2te Ausgabe Königsb. 1819. §. 19. p. 51.

eam ob causam a se principium oppositionis (ἄρχην τῆς ἀντιθέσεως) nominari. Unde ad principium exclusi tertii explicandum hac ratione procedit:

Principium positionis (θέσεως, identitatis) cavet, ne contradictoria in re quadam coniungantur: sed si de eadem re notiones contrariae praedicari possunt, quaeritur, qua summa lege cogitationi procedendum sit in statuenda aut una aut altera. Neque enim necessario affirmari posse iure monet, eidem rei (= A) aut B aut non B esse assignandum. Eadem ratione neque B, neque non B de A praedicari posse, quum certo quodam modo notio quaedam definiri plane non possit, veluti si in suspenso relinquendum sit, utrum quis dives aut doctus sit, necne. (Unde vulgarem eius principii formulam falsam sive minus accuratam esse satis apparet.)

Iam igitur Krugius ait, unamquamque rem omni modo definiendam esse, ut praedicatorum contrariorum aut affirmans aut negans ei conveniat. Quod principium determinationis omnimodae, sive exclusi inter duo contradictoria medii nuncupandum censet, et iis verbis concipit: unicuique rei, si ab omni parte est cogitatione definita, praedicatum omne, quod omnino referri

ad eam possit, aut convenire aut non convenire necesse est. *)

Friesius **) principium exclusi tertii ex dicto de omni et nullo, quod primo loco ponit, pendere dicit. Illud praecipit, quod de genere valeat aut non valeat, etiam de singulis generi inclusis aut praedicari aut negari debere.

Deinde ita pergit: Facultas iudicandi, quae in qualitate rebus recte assignanda vel abiudicanda posita est, postulat, ut, id quod cogitationi est proprium, in contrariam aut positionis aut negationis partem abeat quaevis sententia. (»*In der qualitativen Form des Urtheils liegt die, dem denkenden Verstande eigenthümliche, Entgegensetzung der Bejahung und Verneinung.*«) Ex ea principium repetitur uniuscuiusque rei praedicato aut ponente aut negante definiendae (*der Satz der Bestimmbarkeit jedes Gegenstandes durch jedes Prä-*

*) »Es muss jedem, als durchgängig bestimmt gedachten, Gegenstande jedes mögliche Merkmal entweder zukommen oder nicht.« Krugius l. c. p. 52.

**) System der Logik, ein Handbuch für Lehrer und zum Selbstgebrauche, von Jacob Friedrich Fries, 2te Aufl. Heidelb. 1819. §. 41. 42. p. 189, 190, 197.

dicat); sive quod dictum de tertio inter contradictoria excluso est. Cuius formulam ita exhibet: omni rei solummodo notio quaedam aut eius contrarium convenit (*jedem Gegenstande kommt entweder ein Begriff oder sein Gegentheil zu*): et posteriore loco (p. 197.), in quo uberius disputat de principio illo ex praecepto logico, quod ad caussam rerum pertinet, derivando hanc eius formam universam proponit:

Secundum exclusi tertii rationem ex duabus sententiis, quarum una rei alicui quandam notionem tribuit, altera eidem contrarium obtinet, alteram et solam alteram veram esse necesse est: (*nach dem Satze des ausgeschlossenen Dritten muss von zwei Urtheilen, deren eines einem Gegenstande einen Begriff, das andere demselben Gegenstande dieses Begriffes Gegentheil beilegt, nothwendig eines und nur eines wahr sein.*) Quod praeceptum minus accurate a Friesio verbis conceptum esse, et desiderari in eo haud exigui momenti notionem, ita ut manca formula sit, deinde monstrabimus.

Utcunque tamen id est, a logicis hucusque omnibus pro certissimo et exploratissimo habitum esse constat, in eadem notione et re sibi opposita coniuncta sine contradictio-

ne summa nec esse neque cogitari posse.

Hegelius unus diversam viam ingressus negavit non solum, principium illud verum esse, sed plane contraria sententia in medium prolata philosophiae suae et methodi dialecticae fontem eam fecit; nullam enim rem finitam aut limitibus circumscriptam inveniri ait, in qua non opposita reperiantur, quae non per contrarias notiones defluat, et inde in aliud conformetur: neque esse in his omnibus veri firmique quidquam, nisi rem ipsam infinitam et absolutam. (*Alles Endliche ist der reale Widerspruch, ein Fliessendes zwischen entgegengesetzten Bestimmungen, wodurch es in seinen Grund, das Unendliche, Absolute, zurückgeht.*)

Unde magno cum plausu ab Hegelii asseclis celebratum postea est, contradictionis principium, quo omnia, quae sibi contradicant, pro falsis habenda sint, esse ab eo refutatum et funditus eversum, atque in eius loco principium immutationis omnium rerum, quam vocant, dialecticae (*das Princip der dialektischen Bewegung*) esse repositum. — Praetermittamus hoc loco, num placitum illud de contradictionis in omnibus veritate in metaphysicis locum habere aut defendi possit; lectores, ad quos propius haec pertinent, able-

gandi sunt ad ontologiam nostram.*) Hoc loco de vi illius in logicis sive in cognitionis humanae scientia disputandum est.

Ceterum Herbartius iam in commentario sagacissime perscripto: de principio logico exclusi tertii inter contradictoria non negligendo (Gottingae 1833.), ubi tuetur illud contra Hegelium, in tractandis his omnibus levitatis, negligentiae, ineptiarum eum arguit, neque sine veri specie, si singulas eius sententias universo orationis contextui evulsas pro se perpendas. Concedendum enim est, philosophum, ut in ceteris operibus, ita in libro, cui encyclopaediae philosophicae nomen imposuit (ex quo depromta sunt apud Herbartium negligentiae illius exempla), nonnumquam minus accurate singulas notiones verbis expressisse, ita ut sententias manifesto sibi repugnantes subinde extorquere possis. Tamen tota philosophi sententia sana est et sibi constans, neque omnino ambigi potest, quin hac de re quoque verum eius sensum eruamus. Itaque longe aliae causae sunt nostrae, atque Herbartii, quibus ab Hegelii sententia in his recedere moveamur.

---

*) Grundzüge zum Systeme der Philosophie, zweite Abtheilung: die Ontologie, Heidelb. 1836. p. 163—168.

Ante omnia corrigenda est quaedam notionum permutatio, apud Hegelium eiusque assectatores fere perpetua, ceterum haudquaquam exigua, aut levioris momenti. Affirmant enim omnes, res finitas contradictioni esse obnoxias, quia mutabiles sunt, easque necessario interire hac contradictione penitus iis iniuncta: ideo manifestum esse, longe a vero eos aberrare, qui res et notiones contradictorias pro falsis habendas esse contendant, quum omnia potius finita contradictoria sint.

In his commutari inter se contradictoria cum contrariis, sibi opposita cum diversis, et inde natum esse permirum illud placitum de rebus cunctis contradictionis vinculo obstrictis atque ea de causa ad interitum destinatis, satis apparet. Est enim Heraclitea illa ῥοὴ πάντων, universa rerum commutatio et mobilitas, quam Hegelius in philosophiam suam induxit, et iam in primis Phaenomenologiae suae capitibus admirabili subtilitate illustravit et omni cogitationis gravitate explicuit. Quorum autem omnium non is est finis et summa, ut comprobetur, res per opposita aut contradictoria distrahi, sed per diversa, variasque conditiones decurrere sensimque transformari. Igitur, si consideratius rem perpendis, non est contradictionis principium ab Hegelio refutatum, sed

potius veritas principii exclusi tertii accuratius circumscripta et in arctiores limites revocata est, quamvis Hegelius persuasum haberet, hoc omnino a se reiectum et refutatum esse. Id quod aut contra Hegelium aut pro eo (— quae est universa philosophiae nostrae conditio, quantum ad eum pertinet —) iam breviter exponamus.

Unaquaeque res, quae sensibus percipitur, diversa (— neque tamen inter se opposita —) simul complecti et perpetua eorum vicissitudine immutari videtur. Quid autem vere sit, quod mutationem dicimus et diversitatem, num quid vere et per se diversa continere et mutari, aut in aliud transire possit, hoc nunc mittamus: est enim ea quaestio ad ontologica sive metaphysica reiicienda, quorum hic locus non est. Sufficit, ut moneamus, primum, hac ratione datas nobis res esse et a mente humana concipi, deinde, esse primam rationis facultatem, ut ex mutabili rerum specie constans et firmum aliquid (illud A = A identitatis formulae), quod in omnibus eiusmodi rebus unum sit et idem, neque tolli possit in iis mutatis, eliciat et certis notionibus concipiat.

Hinc tamen quaestio oritur plane logica sive ad rationalem rerum cognitionem referenda: qua lege ex oppositis eidem rei altera utra et

solum altera notio conveniat ceteris exclusis? Quod apparet esse corollarium quasi sive additamentum praecepti — quod differentiae principium iure quodam vocari possit, — quomodo ex identitate rei (A = A) ad eius differentiam (A = B aut C etc.) ratione progrediendum sit. Manifestum est, totum hoc pendere ex identitatis principio, eo sensu, quo illud proposuimus. A, quia est hoc A, aut ad differentiam quandam (B — C) plane non referri, aut referri potest, ita ut sub certa conditione, re accuratius indagata, oppositarum notionum altera solum ei conveniat. Haec enim tria sunt principii differentiae capita, bene inter se distinguenda.

Primum: ex notionibus oppositis neutra rei cuidam convenit; tunc utraque eodem modo neganda erit (A neque B neque C), qui est primus differentiae principii modus. — Hic tum locum habebit, si res quaedam (quia haec ei est identitas sive notio universalis, hoc A = A est) ad oppositarum notionum regionem quandam non pertineat, neque omnino per earum differentiam definiri possit. Ita notio logica neque numero par aut impar est, neque figura aut rotunda aut rectis lineis inclusa, quia de intelligibilibus nec numerus nec figura praedicari potest. Mens humana neque opaca neque pellucida habenda est,

quia notiones corporeae ad eam non pertinent, etc.

Deinde: ex notionibus oppositis utraque eidem rei, sed diversa ratione aut diverso temporis ordine, convenire potest; tunc neutra earum pro se neganda erit (A vel B vel C est): alter principii illius modus. — Velut animus humanus diversa ratione et pro mortali et pro immortali habendus, simul sub spatium cadit, quum corpori sit intime unitus, locum quendam implenti, simul spatium negat eiusque intervalla dirimentia tollit, quia agendo ea penetrat et in unum concipit. Homo per se et probus et malus, gnarus et ignarus, prudens et insipiens esse potest. Est enim ubertas rei quaedam, si opposita ad se referre et in se copulare possit.

Simili modo praeceptum, inter duo opposita nihil nisi unum esse verum, falsum et reiiciendum esse, natura ipsa convincitur, quum in rerum naturalium cognitione aut usum habet nullum, aut, si tamen eo uti velles, perniciosissimum foret. Hac lege enim necessario dicendum esset: istud animal aut ad mammalia referendum est, aut non; hoc corpus (quod dicitur organicum) aut plantis aut animalibus adnumerari debet. Iam vero accuratior naturae disquisitio, velut in ornithoryncho paradoxo, vel in iis corporibus, quae mirum in modum

inter plantarum et animalium proprietatem fluctuare quasi, et utramque eorum naturam sociare videntur, universam istam differentiam reiicit ac tollit: tertium ex duobus solum in iis verum est.

Eadem ratione perpetua rerum mutatio veritatem principii exclusi tertii absolutam refutat: nam diverso temporis ordine contraria eidem rei convenire necesse est; eadem folia nunc virent, nunc marcescunt, corpori, nunc vivo, eam ob causam mox moriendum erit. Nam ea est identitas (A = A) illa corporea, quae necessario haec opposita in se contineat.

In his igitur omnibus principium exclusi tertii reiiciendum erit: A diversa ratione et B et C esse aut potest aut debet. Tamen redundat ex ipsis illis vera eius vis et auctoritas, quae immutata valet, quamquam arctioribus finibus inclusa et accuratius definienda.

Reliquus enim est tertius illius principii modus: in eadem sententia, qua certa et definita rei conditio indicatur, duo opposita sive se invicem tollentia de eadem re praedicari non possunt. Tum ex oppositis alterum tantum valebit, omne tertium excludetur, atque in his A solum aut B aut C esse poterit. — Idem folium uno eodemque tempore et virere et mar-

cere nequit: non eadem conditione animus mortalis est et immortalis, sub spatium cadit et eius naturam superat; nec eodem facinore quisquam simul probum et improbum praebere se potest: sed altera conditio iam affirmata necessario excludit alteram.

Itaque formula principii exclusi tertii — quod pro tertio loco in differentiae principio habendum nullumque per se esse, iam comprobavimus — talem in modum verbis concipienda erit.

Ex duobus oppositis, *si omnino ad rem quandam referri possunt,* in una eademque sententia et eadem conditione, solum altera notio rei adiudicari potest, altera neganda est. (*Von zwei entgegengesetzten Bestimmungen, wenn sie überhaupt auf einen Begriff sich beziehen, kann in Einem und demselben Denkakte und in derselben Beziehung nur die Eine demselben beigelegt werden, die andere ist ihm abzusprechen.*)

Quam definitionem atque universam argumentationem et confirmationem meam plane novam esse, haud dixerim, quum vana esset opinio, in his novi aliquid detegi posse: et latet quidem verus illius principii sensus in sententiis logicorum vel diversissimis, velut Herbartii et Hegelii, quem hoc voluisse reprehensione sua negari vix